STANISLAUS WITKOWSKI.

DE LUCANI

SCHEDIS CRACOVIENSIBUS.

SEORSIM IMPRESSUM EX LIBRO:
SYMBOLAE IN HONOREM LUDOVICI ĆWIKLIŃSKI.

LEOPOLI 1902.
SUMPTIBUS AUCTORIS.

DE LUCANI
SCHEDIS CRACOVIENSIBUS.

In bibliotheca Jagellonica Cracoviensi asservatur fragmentum codicis membranacei, continens Lucani Pharsaliae IX 517—736. Fragmentum hoc collatum est a P. Passowicz (Eos V, 1899, p. 120—5), attamen neque collatio eius ea, qua opus erat, instituta est cura, neque in cognatione codicis Cracoviensis definienda Passowicz mea quidem opinione rectam viam et rationem secutus est, ita ut haud inutile fore putarem in usum virorum doctorum novam huius fragmenti collationem maiore institutam cura proponere.

Schedae Cracovienses Nr. Inv. 2685, quas litteris Cr insignire liceat, constant duobus foliorum paribus (1 et 4, 2 et 3) sive quaternione, cuius octo paginae hos versus hodie continent:

A	Fol. 1^r	IX 520—544
A	Fol. 1^v	548—573
B	Fol. 2^r	578—602
B	Fol. 2^v	607—631
b	Fol. 3^r	636—660
b	Fol. 3^v	665—689
a	Fol. 4^r	693—713
a	Fol. 4^v	717—736

Desunt versus: 517—519, 545-547, 574—577, 603—606, 632—635, 661—664, 690—692, 714—716. Versus hi erant exarati in superioribus partibus columnarum, hodie abscisis. Mem-

branae enim usurpatae sunt medio aevo ad vestiendum codicem chartaceum saeculi XIV.,[1]) quod eo factum est modo, ut interiori parti ligneorum tegumentorum agglutinarentur. Iam cum nostro aevo membranae a tegumentis avellebantur, superior earum pars abscisa est. Attamen contigit Passowiczio (id quod mihi unicum fere meritum laboris ab eo in schedas Lucani impensi esse videtur), ut alterius membranae abscisam illam particulam in codice 321 inter paginas 222 et 223 reperiret. Eo modo superiores partes columnarum 1. et 2., 7. et 8. (i. e. Fol. 1^r et 1^v, Fol. 4^r et 4^v), scil. vv. 517—519, 545—547, 690—692, 714—716, nobis recuperatae sunt, ita ut hodie 204 versus (517—573, 578—602, 607—631, 636—660, 665—736) habeamus et 16 tantummodo desideremus. Alterius membranae particulam abscisam in codice 321 frustra quaesivi.

Singulae paginae codicis continebant 28—29 versus (Fol. 1^r : 28 vv., 1^v : 29 vv., Fol. 2^r : 29 vv., 2^v : 29 vv., Fol. 3^r : 29 vv., 3^v : 29 vv., Fol. 4^r : 24 vv., 4^v : 23 vv.). Interioris membranae paginae (i. e. fol. 2. et 3.) erant versuum 29 [2]). Eun-

---

[1]) Codex hic, in inventario bibliothecae numero 321 insignitus, continet: 1) p. 1—207: Petri de Riga Auroram seu Biblia carmine reddita; 2) p. 208—246: sermonem super Matthaei cap. XXVI, versiculos aliquot minoris momenti, quaestiones theologicas, decalogum. In involucro libri exstat exaratum alia manu: „Aurora Petri de Riga in papiro mgri Johannis de Dambrowka, in asserculis albis;“ in interiore involucri parte apparent vestigia membranarum Lucani, quae avulsae hodie codicem peculiarem (i. e. 2685) efficiunt. In chartula catalogi leguntur exarata manu bibliothecarii Georgii Samuelis Bandtkie haec verba: „Hic sunt ab introligatore ad vestiendum librum adhibita duo folia, sive quattuor folia in 4to, ex Codice manuscripto Ovidii Metamorphoseon libris, ni fallimur“; attamen falsus erat vir doctus, membranae enim illae continent non Ovidii versus, sicut fortasse fabula de Perseo et Medusa deceptus Bandtkie re accuratius non investigata coniecerat, sed Lucani fragmentum, de quo agimus. Ad quae Bandtkii verba adnotavit in eadem catalogi chartula bibliothecarius Carolus Estreicher: „Domniemanego Owidyusza w rękopiśmie w oprawie nieznaleziono. 15/XII 69, Estreicher“ (i. e. Ille Ovidii codex in tegumento non est inventus). Cf. Wisłocki, Catal. codd. mss. Bibl. Univ. Jag. Crac.

[2]) Dubitatio moveri potest fortasse de fol. 3^v, ubi vv. 661—664 interciderunt. Cum enim in nonnullis libris manuscriptis omittatur versus 664, e. g. in VUR (in M manu tertia additur), quaeri potest, an versus ille in codice Cracoviensi omnino exstiterit. Iam omni cum probabilitate respondere possumus versum illum in Cr. haud defuisse, reliquae enim paginae

dem versuum numerum exhibet exterioris membranae fol. 1^v (fol. 1^r continet numerum uno versu minorem); in duabus ultimis huius membranae paginis numerus versuum ideo est multo minor solito, quod membrana ibi tum, cum codex describebatur, duobus locis perforata erat.

Singulae paginae sunt hodie 210 mm. (olim 220—230 mm.) altae, 147—150 mm. latae. Inferior margo est 33—36 mm. Margo, a dextra (rectae, sinistra versae paginae) vacuus relictus, est 32—34 mm, olim tamen fuit amplior, id quod ex variis lectionibus in eo exaratis, nunc circumcisis, elucet. In superiore paginarum parte nullus erat margo.

Scriptus est codex manu eleganti. Eadem manus scholia parvi pretii inter versus adiecit. Codex exaratus esse dicitur saec. XII, ego tamen vetustiorem eum esse credo et saeculo X—XI. tribuo. Rem alii magis quam ego palaeographiae latinae periti disceptent. Forma litterarum cum Terentiano Basilicae S. Petri H 19 (saec. X), Ciceronis Verrinarum Paris. 7776 (saec. XI), de amicitia Paris. 544, aliis, quodam modo convenit (Chatelain, Paléographie des classiques latins Nr. 10, 31, 41). In membranis, quae hodie Lucanum continent, fuit olim alius textus, manu eleganti, litteris speciosis exaratus, cuius hodie tenuia vestigia apparent, ita ut codex Cracoviensis rescriptis adnumerandus sit.

Collationem, quam infra propono, institui ad editionem Hosii (Lipsiae 1892). In cognatione codicis definienda adhibui praeter apparatum Hosii etiam apparatum Franckeni (Lugduni Batavorum 1896 et 1897). Varietatem lectionis propono integram [1]), etiam igitur eam, quae ad orthographiam spectat, eo ductus consilio, ut, si in aliqua bibliotheca reliqua pars codicis Cracoviensis lateat, discerptae partes facilius agnoscantur. Ne tamen viri docti, qui hanc collationem in

---

huius membranae (3, 4, 5) exhibent versus 29. Confirmatur hoc eo, quod Cr. habet etiam versum 615, quem plurimi libri omittunt (ABEGMNPTZ), praeterea quod exhibet versus 684—687, qui in G desunt, ita ut codicem Cr. merito iis codicibus adnumerare possimus, qui ampliorem versuum numerum habeant.

[1]) Id quod Passowicz facere omisit.

manus sumpserint, tantam sibi lectionum inanium turbam perlegendam esse querantur, omnes lectiones, quae aliquid momenti habere videbantur, vel potius lectiones omnes ad unam, praeter meras orthographicas, distantibus litteris excudendas curavi.

In paginis prima et ultima litterae magnam partem interciderunt. Diserte igitur moneo collationem harum duarum paginarum non esse integram, sed eas me tantum varias lectiones attulisse, quae dignoscere potuerim.

In enumeranda varia lectione codicis Cracoviensis omisi monere, si duae voces a librario in unam coniunctae exarantur, e. g. praepositio cum substantivo (548 defama, pro: de fama). Pro diphthongis *ae*, *oe* librarius in mediis vocibus *e* ponere solet, in exitu vocis *ae*, e. g. in genetivis primae quae dicitur declinationis.

Fol. 1r IX 517 Aethiopum] ethiopum ‖ 518 Iuppiter] iupiter ‖ Hammon] hamon ‖ 520 divitiis] diviciis ‖ 525 Hammon] hamon ‖ 527 conectit] connectit ‖ 528 sic] hic ‖ Phoebo] phebo ‖ 530 conpellitur] compellitur ‖ 531 deprensum] deprehensum ‖ 531 qua] quo *potius quam* qua ‖ 532 solstitii] solsticii ‖ 537 Aegoceros] ergoc..o. ‖ 538 Libyco] libico ‖ 539 noton] nothon ‖ 540 Cynosura] cinosura ‖ 543 caelo] celo ‖ 544 eos] eous ‖

Fol. 1v 546 Latio] lacio ‖ 547 Libycum] libicum ‖ 548 aevi] evi ‖ 553 Syrtes] Sirteš ‖ 554 arcana] archana ‖ 556 secreta] directa ‖ 558 inquire in fata] inquire fata (*nescio an mero errore pro* inquirẽ=*inquirere*, *sicut e. g. v. 553* cognoscẽ=*cognoscere*) [1] ‖ 559 Caesaris] Cesaris ‖ 563 quaere] quere ‖ 565 adytis] aditis ‖ 566 quaeri] queri ‖ 567 potius] pocius ‖ 568 nihil] nichil ‖ si] sed ‖ 570 opposita] obposita ‖ 572 hoc] haec ‖ altius] alcius ‖ inseret] inserit ‖ Hammon] hamon ‖ 573 haeremus] heremus ‖ cuncti *primo omissum*, *tum 1. manu infra versum additum* ‖

Fol. 2r. *Vv. 574—577 interciderunt.* 579 caelum] celum ‖ quaerimus] querimus ‖ 580 Iuppiter] Iupiter ‖ 583 cadendum est] cadendum ‖ 584 profatus] profatur [2] ‖ 586 Ham-

[1]) Compendium fortasse evanuit.

[2]) Falso legit Passowicz: profatus.

mona] hamona ‖ 592 certare] potare ‖ 595 quidquid] quicquid ‖ ullo] illo ‖ 598 Syrtes] sirtis ‖ Libyaeque] libiesque ‖ triumphum] sequentem, *in margine v. l.* trium[... (*exitus vocis circumcisa pagina interiit*) ‖ 600 scandere] scande; *terminatio*-re *fortasse fuit compendio exarata, quod postea evanuit* ‖ Pompei] Ponpei ‖

Fol. 2^v. *Vv. 603—606 interciderunt.* ‖ 610 sitiebant] siciebant ‖ 612 adloquitur] alloquitur ‖ leti] loeti ‖ *V. 615 prima manu exaratus.* ‖ 615 morsu] morsus ‖ minatur] minantur ‖ 617 Libyae] libies ‖ 619 Libycus] libicus ‖ exundet] exudat ‖ *V. 620 suo loco exaratus.* ‖ 620 nocenti] nocenti *correctum ex* nocendi ‖ 622 volgata] vulgata ‖ 624 Libyes] libies ‖ 625 oceanum] occeanum ‖ calentem] calentem *correctum ex* cadentem ‖ 626 Phorcynidos] phorcinidos ‖ 627 suco] sulco ‖ 628 voltu] vultu ‖ 629 saevas] sevas ‖

Fol. 3^r. *Vv. 632—635 interciderunt.* 640 praevenit] prevenit ‖ 643 Cerberos] cerberus ‖ 644 Amphitryoniades] amphitrioniades ‖ hydram] hidram ‖ 646 Phorcys] phorcus ‖ 647 caelo pelagoque] pelago celoq(ue) ‖ 649 caelo] celo ‖ 650 haesere] hesere ‖ 651 Aethiopum] ethiopum ‖ 652 visus] visum ‖ patiens] paciens ‖ retrorsus] retrorsum ‖ 655 Atlanta] athlanta ‖ caelo] celo ‖ timente *ex correctura ut videtur; tum adscriptum in margine* timen[... ‖ 656 Phlegraeo] phlegreo ‖ gigantas] gigantes ‖ 659 Danaes] dane ‖ 660 Parrhasiae] parrasiae ‖ pinnae] pennae ‖

Fol. 3^v. *Interciderunt in superiore margine quattuor, ut videtur, versus (sicut in foliis 2^r, 2^v, 3^r), i. e. vv. 661—664. Sequitur ex eo, v. 664, qui in MVU est omissus et in MV a correctoribus additus, in libro Crac. inde ab initio exstitisse.* 666 Libyssae] libissae ‖ 667 Phoebeos] phebeos ‖ 668 averso] adverso ‖ 669 laevae] levae ‖ 673 protenti] protecti ‖ hydri] idri ‖ 674 voltus] vultus ‖ 676 aversi] adversi ‖ Cyllenida] cillenida ‖ derigit] dirigit ‖ Harpen] arpen ‖ 678 voltus] vultus ‖ volnere] vulnere ‖ 679 caesa] caşa (=*caesa?*) ‖ spirare] spirasse ‖ 681 voltus] vultus ‖ 682 aversi] adversi ‖ 684 aliger] alliger ‖ sic rapta] rapta sic ‖ 685 *post* pensabat *lacuna exstat, tum sequitur* propiusque ‖ 687 laedere] ledere ‖ 688 praepete] prepete ‖ 689 Zephyro] zephiro.

Fol. 4r. 690 Libyen] libien ‖ 691 sideribus] syderibus ‖ Phoebo] phebo ‖ 692 polum] solum ‖ 695 noton] nothon ‖ umbram] umbra ‖ 701 aspida] aspera *corr. in* aspida; *in margine repetitum* asp[... *(exitus abscisus)* ‖ 703 decidit: in nulla] decidit, et nulla ‖ 706 quis *in ras. ut vid.* ‖ 707 Libycae] libicae ‖ 708 miseris *in rasura; voluit* passura *ut videtur* ‖ 709 haemorrhois] emorrois ‖ 710 Syrtidos] sirtidos *in rasura* ‖ 711 chersydros] chersidros ‖ chelydri] chelidri ‖ 712 cenchris] chenchris ‖

Fol. 4v. 714 pictus] tinctus *ss.* l. pictus ‖ 716 *superest* nte ceras ‖ 717 *ante* sola *fuit ut videtur* etiamnunc *(vestigia litterarum* nc *supersunt)* ‖ 719 amphisbaena] amphisibena ‖ 721 parias] par[... *(reliquae litterae interciderunt)* ‖ 722 fumantia] spumantia ‖ prester] p..s.er ‖ 726 volgus] v..gus (u *in rasura)* ‖ 729 letiferos] pestiferos ‖ 730 pinnis] pennis ‖ 736 volnere] vulnere ‖

Scholia adiecta sunt haec[1]):

IX 529 librata adeqta (= adaequata) ‖ 535 *post* astrea *ss.* n̄ *ut videtur* (=nomen) ‖ 536 chiron sagittar[ius] ‖ 537 ergoceros cap.[ricornus] ‖ 544 eous ori[ens[2])] ‖ 547 exploret *ss.* ut ille ‖ 548 evi nū *(tertia littera, si qua fuit, erui nequit* ‖ 550 *post* sors obtulit *ss.* nobis ‖ 552 duce dō (=deo) ‖ possumus 7 (=et) nos ‖ 556 supernas celestes ‖ 557 sequerisque bn̄ (=bene) vivendo ‖ *post* loquendi *ss.* 7 qẓtalẜ (=et quia talis) ‖ 558 fata eventus ‖ 559 excute inquire ‖ 560 *ante* iure *ss. vox duarum litterarum, quarum prior incerta, altera* t *satis certa* ‖ iure suo ·i· (=id est) libertate[3]) ‖ *ante* licebit *ss.* an ‖ 561 an *ss.* s· *ut videtur* ‖ 562 *ante* amator *ss.* o ‖ 565 aditis templis ‖ 566 *ante* labiene *ss.* o ‖ *inter* an *et* liber *ss.* iubes ut ‖ 568 vita brevis ‖ *post* differat *ss.* se *ut puto* ‖ 569 *ante* fortuna *ss.* an ‖ 570 minas potentum ‖ *ante* laudandaque velle *ss.* 7 (=et) iubes ‖ 571 sit satis *ss.* an ‖ *post* et *ss.* iubes queri (=quaeri) an ‖ 578

---

[1]) Passowicz omnes interpretationes allaturum se pollicitus multas omisit, scilicet ex 102, quae infra a me afferuntur, 38 tantummodo attulit.

[2]) Interpretationem oriens habet Berol. 35 (BC apud Web.).

[3]) Falso Passowicz: liberate.

estque *ss.* qu *(exitus vocis evanidus)* ‖ 579 virtus *ss.* ·i· superni sp̄s (=spiritus) ‖ 580 est *ss.* t *ut videtur, tum sequitur bis* per, *scilicet ante utrumque* quodcumque ‖ 581 sortilegis responsis deorum ‖ 582 quia *ss. ante* me ‖ *post* me non *ss.* faciunt ‖ 584 ille Cato ‖ 586 exploratum a se ‖ populis *ss.* ſſ (?) (=suis *ut puto*) ‖ 594 successu prosperitate ‖ 602 o *ss. ante* roma ‖ 613 o *ss. ante* miles ‖ 619 exudat habundat ‖ 621 *post* miscuerit *ss.* se ‖ *post* cura *ss.* n̄ra (=nostra) ‖ 624 finibus extremis *ss.* in ‖ 636 e *ss. ante* cunctis ‖ 637 spectare[1]) *ss.* alios ‖ 639 fata mortem ‖ 645 genitor *ss.* meduse[2]) ‖ numenque ·i· ‖ 646 *post* parens *ss.* ·i· neptunus timuit h· (=hoc) monstrum ‖ 645 sq. *supra* genitor *et* phorcus *suprascripta bina puncta, supra* numenque *et* aquis *binae lineolae obliquae, ut significetur voces illas inter se cohaerere* ‖ 647 gorgones *ss. in margine* timuere h· (=hoc) m. (=monstrum) ‖ hoc monstrum ‖ 649 *post* pondere *ss.* s̄ (=sunt) ‖ 652 visum *ss.* illius ‖ paciens *ss.* est ‖ 658 confecit *ss.* ·i· (=id est; *an*=legitur?) perfec ‖ 659 quo ·i· ad (*sequitur compendium, quod videtur significare* quam) medusam ‖ 660 parrasiae mercuriales ‖ 668 sulcantem *ss.* persea dico ‖ 670 iussit *ss.* illum ‖ 673 protecti extensi[3]) ‖ 674 pars *ss. vox, quam eruere non possum* ‖ vultus *ss.* iacent ‖ in *ss. ante* tenebras ‖ 675 regit trepidum *ss.* illum ‖ 678 vultus *ss.* gorgon ; cesa *(significatio compendii, quod inter voces* gorgon *et* cesa *exstat, dubia est)* ‖ hamati curvi ‖ 680 *post* quantumque *ss.* reor ‖ *post* oculos *ss.* eius ‖ 681 spectare *ss.* illam ‖ 687 iussit *ss.* illum ‖ 688 prepete cursore ‖ 691 orbita *ss.* via rotarum ‖ 692 terra celsior *ss.* est hac ‖ 694 *post* si *ss.* illa luna ‖ 696 fecundaque s̄ (=sunt *ut videtur)* ‖ 698 rores guttas ‖ 700 hic in libia ‖ 702 huic aspidi ‖ 703 et nulla *ss.* in ‖ plus *ss.* veneni ‖ 710 *ante* natus *ss.* ē (=est) ‖ natus *ss.* ibi ‖ coleret habitaret ‖ 711 chelidri *ss.* s̄ (=sunt) nati ibi[4]) ‖ 712 chenchris *ss.* nascitur ibi ‖ 713 ille chenchris ‖ per *ss. ante* variatam ‖ 714 quam *ss. glossa trium aut quattuor litterarum, quam eruere non*

---

[1]) Non super licet, sicut Passowicz affirmat.

[2]) Interpr. est: meduse, non: genitor meduse, sicut Passowicz.

[3]) Falso Passowicz: excesi (!).

[4]) Passowicz: nati ibi.

possum ‖ ophites *ss.* lapis; *sequitur glossa, quam eruere non possum* ‖ 715 harenis *ss.* est natus ibi ‖ 716 cerastae *glossa, quam legere non possum* ‖ 720 volucres *ss. vox hodie prorsus evanida* ‖ 723 seps *ss.* ē (=est *ut videtur*) ‖ 726 et *ss.* ille ‖ 728 o *ss. ante* dracones ‖ 730 secuti *ss.* vos ‖ 731 rumpitis *ss.* illos ‖

Accedo ad definiendam cognationem fragmenti Cracoviensis. Quaestio haec, ut in universum quaestiones, quae ad cognationem codicum Lucani pertinent, multis difficultatibus obstructa est, id quod vel ex eo luculenter apparet, quod quattuor virorum, qui de Lucani codicibus novissimo decennio egerunt (Hosius, Lejay, Francken, Beck) alius aliter de eorum cognatione iudicat aliasque codicum stirpes statuit. Constare videntur tantummodo haec: 1. duas minimum[1]) esse classes codicum Lucani, harum alteram esse Paulinam, 2. maximi pretii esse codices: Montepessulanum (M), Vossianum I. (V), Andethannensem 10314 Z (vel Ashburnhamensem A), Parisinum 7502 (P), denique codicem mixtum Vossianum II. (U). Tamen et de his codicibus magnopere inter se viri illi discordant, praecipue, cum de cognatione eorum agitur. Codex Ashburnhamensis (A) a Franckeno (praef. edit.) eidem cui M, a Lejayo (Lucani liber I., Parisiis 1894) et Beckio alteri classi adnumeratur. Codicem Vossianum I (V) Lejay cum M cognatum esse putat, Hosius et Francken cum alterius classis libris consentire affirmant, Beck peculiarem classem efficere credit. Plane eadem sententiarum varietas deprehenditur, cum opiniones de codice Gemblacensi (G) prolatas comparamus (Lejay eum cum M, Hosius et Francken cum altera classe conspirare credunt, Beck alio modo cum ceteris cognatum esse affirmat). Neque aliter rem se habere videmus, cum sententias illorum virorum ad codicem Bernensem (B) spectantes consideramus: ab Hosio et Franckeno B eidem atque M, a Lejayo et Beckio alteri classi adiungitur. Sed ne in ea quidem quaestione viri docti inter se consentiunt, cuinam codicum Lucani palma sit tribuenda, Hosius enim et Franckenus

[1]) Beck (Untersuchungen zu den Handschriften Lucans, Diss., Monaci 1900) tres classes statuit.

codicem M, Lejay codicem A, Beck codices M et Z ceteris longe antecellere opinantur. Cuius rei ratione habita in iis, quae sequuntur, non id agam, ut diiudicem, cuinam classi schedae Cracovienses adnumerandae sint, sed rei me satisfecisse putabo, si eius cognationem accuratius declaravero.

Qua in re exploranda a versibus, qui in nonnullis libris manuscriptis omittuntur, mihi proficiscendum esse videtur. Horum maximi ad rem nostram momenti est v. 615. Versus ille prorsus deest in B, P, Z, F, Erl (=Erlangensi), T, N, in E[1]) additur manu quarta, in M manu tertia, in A manu secunda, in G in rasura exaratur. In Cr versus hic suo loco prima manu est exaratus. Ex eo hoc tantummodo sequitur *codicem Cr non esse ex B, P, Z, F, Erl, T, N descriptum.*

Versus 684—687, qui in G errore manifesto desunt, in Cr suo loco exarantur. Sequitur ex eo *Cr non esse descriptum ex codice G.*

Iam consideremus versus, qui alio in aliis libris manuscriptis ordine leguntur. Versus 700.701 exarati sunt in D hoc ordine: 701.700. In Cr ordo est idem atque in reliquis MSS. Apparet ex hoc *Cr non esse descriptum ex D.*

Minus certum est iudicium de duobus codicibus, in quibus versus transpositi deprehenduntur. In U apparet v. 716 post v. 721. In M v. 620 legitur post v. 627. Utraque transpositio mero errori originem debet. Cum tamen et in U et in M rectus ordo a correctore postea restitutus sit, Cr ex illis codicibus originem ducere potuisse haud negabimus.

B, D, G non sunt igitur directi fontes codicis Cr.

Restant codices A, M, V, U, E, R. Ut cognoscamus, quinam inter eos et Cr nexus intercedat, comparandae sunt lectiones codicis Cr cum lectionibus horum librorum. Non sunt tamen discrepantiae tantummodo numerandae, id quod Passowicz fecit, sed ponderandae. Qua in re praecipui momenti sunt aliquot loci, in quibus libri manuscripti inter se gravius discordant. Sunt loci hi:

---

[1]) Adhibeo notas Lejayi, quae nulla idonea causa a Beckio mutatae sunt.

541	pars	codicum	habet:	semper,	ceteri:	summo
556	„	„	„	directa,	„	secreta
562	„	„	„	saltem,	„	semper
588	„	„	„	vapores,	„	labores
592	„	„	„	potare,	„	certare
722	„	„	„	spumantia,	„	fumantia
729	„	„	„	pestiferos,	„	loetiferos (sic).

Hi loci nonnullique alii eorum similes ad disceptandam quaestionem cognationis codicum maiorem vim mihi habere videntur quam ceteri, quorum lectiones levius inter se discrepant, ita ut mero librarii mendo originem debere possint.

Cum codice U congruit Cr his locis (ut locos minoris momenti omittamus, quod et infra semper fiet): 528 hic Cr U (alii: sic), 602 pudebit (puderet), 627 sulco (suco), 658 e medio (in medio), 692 solum (polum), 702 huic (huc), 714 tinctus (pictus), 718 torrida (horrida), 719 vergens (surgens). — Discrepat ab U locis hisce: 531 quo *ut vid.* Cr (U qua), 540 te *ut vid.* (et), 541 semper (summo), 553 bellisque (bellique), 556 directa (secreta), 562 saltem (semper), 572 haec (hoc), 580 quodcumque vides (quocunque v.), quodcumque moveris (quocunque m.), 592 potare (potare U *in ras.*), 649 e caelo (et c.), 673 protecti (U protenti, *m. 2.* -cti), 679 spirasse (-are), 680 reor (rear), 685 pensabat (-aret), secabat (-ret), 706 erit (erat), 722 spumantia (fumantia), 729 pestiferos (loetiferos). — Apparet ex hoc codicem Cr cum U in lectionibus levioris momenti congruere, discordare in rebus gravibus.

Codex Cr proximis cognationis vinculis coniunctus est cum codice V (Vossiano I). Dissentit ab eo locis hisce: 540 te Cr *fere certum* (V et), 541 semper (summo), 558 inquire fata (*an ex* inquirere *per compendium scripto?* V inquirere fata), 580 quodcumque vides (quoc. v.), quodcumque moveris (quoc. m.), 584 profatur (-tus), 627 sulco (suco), 647 pelago celoque (caelo pelagoque), 658 e medio (in m.), 680 reor (rear), 684 rapta sic (sic rapta), 722 spumantia (fumantia). — Contra concinit cum V: 528 hic Cr V (sic), 531 quo (qua), 553 bellisque (bellique), 556 directa (secreta), 562 saltem (semper), 572 haec (hoc), 588 vapores (labores),

592 potare (certare), 595 illo V_1 [1]) (ullo), 602 pudebit (puderet), 625 cadentem Cr_1 V_1, 648 insolitum (solitum), 649 e (et), 652 retrorsum (-us), 679 spirasse (-are), 692 solum (polum), 695 umbra (-am), 702 huic (huc), 714 tinctus (pictus), 718 torrida (horrida), 719 vergens (surgens), 729 pestiferos (loetiferos). — Videmus locorum discordantium esse et numerum minorem et pondus levius, locos conspirantes et multos et graves.

Cum codice M concinit Cr in his: 528 hic Cr M (sic), 537 ergoç..ọ. Cr (e^{r}goceros M, *litt.* r *m. rec. add.*), 541 semper Cr M, summo m [2]) (*sic Hos.*; summo M *Franck.*), 544 eous, 553 bellisque (bellique), 556 directa m (secreta), 580 quodcumque (*bis*, quoc-), 584 profatur (-tus), 592 potare Cr, *in ras.* M (*sic Fr.*; *Hos.*: certare M, potare m), 602 pudebit (-eret), 620 nocendi Cr_1 M (*corr. Cr in:* nocenti), 627 sulco (suco), 648 insolitum (in *in ras. M;* solitum), 652 visum (-us *etc.*), 658 e medio (in m.), 673 protecti Cr, M *manu 2.* (protenti), 692 solum Cr m (polum M_1), 695 umbra (-am), 714 tinctus (pictus), 718 torrida (horrida), 719 vergens (surgens), 722 spumantia Cr m (fumantia). — Discrepantia inter Cr et M observatur his locis: 531 quo Cr (qua M), 540 te (et), 541 semper *(cf. locos congruentes)*, 556 directa Cr m (M secreta, *sic Hos.; Fr.:* M directa, di *in ras.*), 562 saltem (semper), 572 haec (hoc), 588 vapores (labores), 592 indiga (M indigna), potare *(cf. locos congruentes)*, 595 illo (ullo), 620 nocenti (-ndi M), 647 pelago celoque (c. p. q.), 649 e caelo (et c. M_1), 652 retrorsum (-sus), 673 protecti Cr (protenti M *m. 1*), 674 oculique (-isque), 679 spirasse (-are), 680 reor (rear), 684 rapta sic (s. r.), 692 solum Cr m (polum M_1), 702 huic (huc), 722 spumantia (fumantia M_1), 729 pestiferos (loetiferos). — Apparet discrepare codices Cr et M satis vehementer.

Multo maior quam cum M est affinitas codicis Cr cum A, ut docent loci concinentes: 528 hic Cr, A *in ras.* (sic), 540 te (et), 541 semper Cr A (summo a), 556 directa (secreta), 562 saltem (semper), 580 quodcumque (*bis*, quoc-), 627 sulco (suco), 649 e caelo (et c.), 652 visum Cr, a *(cf. infra locos discr.)*, retrorsum (-us), 658 e medio (in m.),

[1]) Numerus 1 primitivam lectionem, postea mutatam, designat.

[2]) Littera minuscula manum correctoris designat.

673 protecti Cr, A *m. 2. (cf. infra)*, 676 dirigit Cr A (*de m. 2. cf. infra*), 679 spirasse Cr A (-re a), 692 solum Cr a (polum A *ss.* s), 702 huic (huc), 714 tinctus (pictus), 719 vergens (surgens), 722 spumantia (fumantia), 729 pestiferos (loetiferos). — Discrimen apparet locis his: 531 quo Cr (qua A), 553 bellisque (-ique), 572 haec (hoc), 584 profatur (-tus), 602 pudebit (-ret), 615 in dente (A *omis.* in), 652 visum Cr a (visus A), 673 protecti Cr, A *m. 2.* (-nti A), 675 dextraque (-amq.), 676 dirigit Cr, A *m. 2.* (derigit A), 679 spirasse Cr A (-are a), 680 reor (rear), 692 solum Cr a (polum A *ss.* s), 694 si flexus (sic f.), 695 umbra (-am), 718 torrida (horrida). — Discrepantia igitur in levibus, consensus in gravibus apparet.

Iam si codicem Cr cum M et A comparamus, eum codici A multo propiorem esse quam codici M videmus.

Quamvis Cr neque ex B neque ex G originem ducat, ut supra demonstravimus, tamen multis locis cum his ll. mm. consentit. Cum B concinit locis his: 541 semper Cr B (summo), 556 directa (secreta), 562 saltem (semper), 580 quodcumque moveris (quoc-), 627 sulco (suco), 652 retrorsum (-us), 679 spirasse (-are), 714 tinctus (pictus), 722 spumantia (fumantia), 729 pestiferos (loetiferos); — dissentit: 526 fons Cr (frons B), 528 hic Cr b (sic B), 531 quo (qua), 540 te (et), 549 hortator (-ur), 553 bellisque (-lique), 572 haec (hoc), 580 quodcumque vides (quoc-), 584 profatur (-fatus), 588 vapores (labores), 641 riguere (-runt), 644 vinceret (vincerit), 648 insolitum (solitum), 653 vitabant (-bunt), 659 dane et (danae sed), 680 reor (rear), 708 at (aut), 718 torrida (horrida). (V. 523, ubi Cr habet: pulvere sicco, secundum Hosium saxo exhibet B_1, secundum Franckenum B). — Cum G concinit locis his: 528 hic Cr G (sic), 540 te (et), 541 semper (summo), 556 directa (secreta), 562 saltem (semper), 572 haec (hoc), 580 quodcumque vid. (quoc.), 592 potare Cr, g *var. l.* (portare G; certare *cett.*), 595 illo Cr G_1 (ullo), 625 cadentem Cr_1 G (*sic Fr.*, G_1 *Hos.)*, 627 sulco (suco), 647 pelago celoque (c. p. q.), 652 retrorsum Cr g (-us), 675 trementem (-te), 676 dirigit (de-), 679 spirasse Cr G (-are g), 680 reor (rear), 695 effugit Cr g (*cf. infra locos discord.*), 718 torrida (horrida),

722 spumantia (fum-), 729 pestiferos (loetif-). — Discordantes loci sunt hi: 522 locis Cr (loci G), 531 quo (qua), 553 bellisque (belliq.), 584 profatur (-tus), 588 vapores (labores), 613 miles tutos (tutos miles), 626 late (longe), 629 nocens (potens), 648 insolitum Cr g (solitum G), 652 visum Cr, g *v. l.* (visu est G), 657 erexit (vertit in hos), 658 e medio (in m.), 671 morte (membra), 673 protecti (protentis), 675 trepidum Pallas (Pallas trepidum), 679 spirare g *(cf. supra locos concin.)*, 689 respiceret (prosp-), 695 effugit Cr g (efficit G_1), umbra Cr g (-am G), 702 huic (huc), 706 nobis lucri (lucri nobis), 707 fecimus (eff-), 713 alvum (alvo), 719 vergens (surgens).

De reliquorum codicum cum Cr affinitate non aeque certum iudicium ferre possum, cum eorum lectionis varietas neque in apparatu critico Hosii neque in apparatu Franckeni integra sit allata. Enumerabo tantummodo graviores codicum R et E locos, tam concinentes quam discrepantes.

R congruit cum Cr locis his: 528 hic Cr R (sic), 588 vapores (labores), 627 sulco (suco), 649 e caelo (et c.), 680 reor (rear), 684 rapta sic (sic rapta), 702 huic (huc), 718 torrida (horrida). — Discrepantiae graviores sunt hae: 531 quo Cr (qua R), 540 te (et), 551 *ordo verborum*, 572 haec (hoc), 592 potare (certare), 672 totam (tota), 673 protecti (-tentis), 676 dirigit (de-), 678 hamati (limati).

E concinit cum Cr his locis: 556 directa Cr E (secreta), 580 quodcumque moveris (quoc-), 592 potare (certare), 679 spirasse (-are), 695 umbra (-am), 722 spumantia (fumantia), 729 pestiferos (loeti-). — Loci discordantes sunt hi: 553 bellisque Cr (bellique E), 572 haec (hoc), 602 pudebit (puderet), 718 torrida (horrida).

Sequitur ex iis, quae supra exposita sunt, codicem Cr e nullo codice servili modo descriptum esse, proxime autem ad V et A accedere, ita tamen, ut nexus eius cum V multo sit artior[1]).

---

[1]) Secundum Passowiczium Cr habet contextum conglutinatum ex M et V, ita tamen, ut propius ad V quam ad M accedat (Eos V p. 124 = p. 5 disputationis seorsum impressae).

Restat, ut scripturas solius Cracoviensis proprias examinemus. Sunt hae: 531 deprehensum (cett.: deprensum) | 558 inquire fata (cett.: inquire in fata, V: inquirere fata) | 572 inserit (inseret) | 583 cadendum (cadendum est) | 598 sequentem, *v. l. in margine* trium[phum (triumphum) | 600 scande (scandere) | 615 morsus (morsu) | 619 exudat (exudet VBGAER, exundet MU) | 630 illius (illis) | 653 gorgonos (-nis VUG mab, -nes $B_1 A_1$) | 659 dane et (danae sed etc.) | 668 adverso (averso) | 678 hamati (amati) | 701 Cr_1 aspera, Cr aspida | 703 decidit: et nulla (decidit: in nulla) | 713 pingitur (tinguitur) [1] ||

Si omittimus scripturas, quae ad meram orthographiam pertinent: 678 hamati pro amati ceterorum codicum, 531 deprehensum pro deprensum, denique 653 gorgonos (gorgonis), reliquae scripturae sunt maximam partem errores aut coniecturae. Errores sunt: 630 illius *pro* illis, 659 dane et *pro* danaes et, 668 adverso pro averso et loci similes (676 et 682), 701 aspera, quod librarius primum exaravit, tum in aspida mutavit. Erroribus adnumero etiam 558 inquire fata (si compendium terminationis infinitivi -re non evanuit aut non est erasum), quod librarius pro inquirere fata scripsisse videtur (quam lectionem V habet, cum reliqui codices inquire in fata exhibeant), et prorsus simile 600 scande pro scandere (si et hoc loco non fuit primitive -re per compendium scriptum). Errores hi ita sunt orti, ut librarius exitum vocis per compendium scriptum falso legeret. Pro errore habeo denique 703 decidit: et nulla (cett.: decidit: in nulla). Et hic error similem originem habet, scilicet librarius compendium ī, quod pro in erat usurpatum, pro 7 habuit, quod et significat.

V. 572 codices habent: „Scimus, et hoc nobis non altius inseret Hammon". Cr exhibet tempus praesens: inserit, quae est scriptura falsa.

Falsa est etiam v. 619 scriptura Cr exudat, ubi ceteri codices recte praebent coniunctivum exundet, utpote in sententia interrogativa indirecta.

---

[1]) Falso Passowicz ponit scripturam codicis Cr: 684 rapta sic inter eas, quae solius Cr propriae sunt, eandem enim scripturam exhibet praeterea cod. R.

Coniectura, eaque falsa, est vox sequentem v. 598, pro qua in ceteris codicibus legitur triumphum:

Hunc ego per Syrtes Libyaeque extrema triumphum
Ducere maluerim, quam ter Capitolia curru
Scandere Pompei, quam frangere colla Iugurthae.

(Cr habet: triumphum, in margine tamquam variam lectionem adscriptum).

V. 713, qui in omnibus libris manuscriptis sic traditur: „Pluribus ille notis variatam tinguitur alvum", in Cr legitur: „Pluribus ille notis variatam pingitur alvum". Vox pingitur est ex coniectura orta, scilicet librarius mutavit traditam vocem tinguitur propterea, quod in codice suo eandem vocem versu insequenti repetitam invenerat:

Quam parvis tinctus maculis Thebanus ophites.

(Idem pingitur coniecit Grotius). Vera est scriptura ceterorum codicum tinguitur.

V. 583 habet Cr:

Sed mors certa facit: pavido fortique cadendum.

Ceteri codices praebent: cadendum est. Utra scriptura praeferenda sit, haud facile dixeris. Usus poetae quaestionem non dirimit, cum Lucanus in exitu versus gerundium (participium perfecti passivi) tam cum voce est quam sine est usurpare soleat. (Cf. 3,548 Et iam diductis extendunt cornua proris | Diversaeque rates laxata classe receptae. 9,1082 Nec fallere vosmet | Credite victorem: nobis quoque tale paratum | Littoris hospitium; nec sic mea... — Altera ex parte: 9,1018 absenti bellum civile peractum est. 4,488 Non tamen in caeca bellorum nube cadendum est. 4,512 Magna virtute merendum est |, cett.)

Denique v. 614 sq., ubi ceteri codices habent:

Noxia serpentum est admixto sanguine pestis;
Morsu virus habent et fatum in dente minatur,
Pocula morte carent.

Cr praebet: „Morsus virus habent". Et hoc loco difficile est dictu, utra scriptura verum servaverit. Scripturam codicis Cracoviensis commendat aequabilitas quaedam, quae exsistit, cum legitur: Morsus virus habent... Pocula morte

carent. Praeterea m o r s u s et p o c u l a planius tum sibi opponuntur. Concedendum est tamen fieri potuisse, ut m o r s u s -s suum sequenti voci v i r u s debeat.

Apparet iam scripturas solius codicis Cracoviensis proprias duobus tantum locis verum fortasse nobis praebere: v. 583 et 614, sed ne hic quidem suspicionem deesse, scripturas has coniecturis librarii originem debere.

Leopoli. *Stanislaus Witkowski.*